

28. Et sanè sic à summis Ecclesiæ Doctõribus semper iudicatum fuit, Quò simpliciore rituum modo utatur Ecclesia, eò Apõtolica conformiorem eam esse.

29. Producent Pontificij etiam alia rituum Ecclesiasticorum  $\gamma\upsilon\omega\sigma\iota\sigma\mu\alpha\tau\alpha$ , ex quibus de interna ipsorum qualitate iudicium fieri & possit & debeat: quòd nimirum doctorum instar sint, & de varijs mysterijs atque officijs pios admoneant: unde in Romanensium Ecclesia duo distincta illa, Ceremonialia & Rationalia divinorum officiorum volumina sunt enata.

30. Verùm 1. præter scripturarum fidem & auctoritatem hoc asseritur: 2. Vetus Testamentum cum Novo, & hoc cum illo turpiter confunditur: siquidem illud constat rituum atque umbrarum imaginibus: hoc verò ipsâ luce & ipso corpore: ut nihilo magis typis ac umbris hodiè opus habeamus, quàm Christianismus cum Iudaismo commune quicquam in externis illis ceremonijs obtinet.

31. Ceterùm ritus sive Ceremonia istiusmodi, quantumvis suâ naturâ media & ἀδιάφογοι, interdum pro conditione temporum, locorum ac personarum: interdum verò ex accidente aliquo, suam naturam quodãmodo mutant, & ἀδιάφογοι esse desinunt.

32. Priore modo, quando ad tempus aliquid toleratur, quod successu temporis liberum minime re-